

trajectis Alpibus Astam venisset, Ludovicus ad Senatum misit, videri sibi optimum esse Maximilianum regem suo & Alexandri & reipublicæ stipendio in Italiam accersiri: ut sit, qui regem Carolum & auctoritate sua deterrere, ne Alpes trajiciat, & si trajecerit, suis & sociorum opibus & copiis comprimere facile possit: ejusque se rei jam apud illum initia & fundamenta jecisse per legatos suos, a qua, ut videtur, non abhorreat. Ea agitata re de Alexandri & Hispaniæ regum legati sententia celeriter a Patribus, sextodecimo calendas iunias Senatus decrevit Maximilianum accersiri oportere: cui sit in trium mensium stipendia (tot enim menses sat fore) a republica quadringentæ auri atque octoginta libræ, a Ludovico alteræ totidem, ab Alexandro parte dimidia pauciores: ducatque is Helvetiorum secum militum quatuor millia, quibus ipse stipendum numeret singulis mensibus libras auri centum viginti. Ea cum lege, mandatisque, Franciscum Foscarum legatum Senatus ad illum misit. quæ quidem lex eo festinantis est lata, quod literæ ad Senatum venerant, Helvetiis, qui se profitebantur nihil eorum quæ vellet Carolus esse facturos; nisi prius reliqua, quæ debeat, quæque permagna sint, eis persolvat; jam ab rege quingentas auri libras esse curatas, quod tamen, ut postea cognitum est, falsum fuit. Beatianus ad Helvetios missus effecit, ut tres eorum pagi reipublicæ sacramentum dicerent, stipendumque eis dedit. Maximilianus accepta a Patribus pecunia in fines regni sui venit, Comensem agrum versus. Eum Ludovicus cum uxore Beatrice obviam profectus exceptit: pransisque una venatum secum duxerunt. Qua commotus fama Aloisius dux Genabensium Astam oppidum communivit, veritus Maximilianum eo primum omnium suas copias adducturum. Ille autem, ut Philippo filio Belgarum regi ad se venienti sui conveniendi potestatem faceret, etiam interius in Alpes reversus, suspicionem multis attulit se se amplius in Italiam non venturum. Atque illis ipsis diebus Henricus Bri-

H. Bembi.

H

tan-